



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus  
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res  
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

**Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>**

**Wirceburgi, 1743**

Joannes Cassianus Speisser, Abbas LII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

penſa erant, perpetua Hospitalitatis, ut dicunt, officia nobis ſponſponderint. An. 1613. Anteceſſorem ſuum in cœleſtem patriam, ut piè confidimus, ſecutus eſt.

JOANNES Martinus h. n. VI.

ABBAS LI.

Totidem annos pari cum laude Abbatiam adminiſtravit Joannes Martinus; præcipuè profuſa illius in pauperes liberalitas verbis exprimi vix ſatis poteſt. Electus an. 1613. defunctus eſt anno 1628.

SÆCULUM IX.

*Ab Anno 1615. ad annum 1715. habet Abbates octo,*

Joannem Caſſianum, Nicolaum, Sylvanum, Remigium, Benedictum, Placidum, Auguſtinum, Bernardum.

JOANNES CASSIANUS Speiſſer,

ABBAS LII.

**A**bbatum in nono hoc ſæculo agmen ducit Joannes Caſſianus, Oxovius patriâ, ad S.

H

Udal-

Udalricum Augustæ Vindelicorum Professus, electus 1628. Antequam ille Monasterio nostro præesse cœpit, Abbas Scotorum Wirceburgensium id administrabat, Schwartzacensibus quidem administratorem suum adeò non probantibus, ut copiam sibi fieri petierint, alium Abbatem creandi. Admotus igitur gubernaculis Cassianus Prælati optimi partes ritè explevit, dum belli Suecici tumultus ingrueret, qui religiosos ad unum omnes, alios aliò fugere compulit, solo Patre Engel annis gravi domo remanente. Habitus is durè à Suecis fuit, & cruciatuum, quos Venerabili Seni acerbissimos intulerunt, vi eò adductus, ut pretiosa quæque templi & Monasterii suppellectilia in cryptis condita avaro militi proderet. Profligatis deinde à Casariano exercitu Suecorum copiis Patres in varia loca dilapsi Schwartzacum repetiêre, non sine exortis inter illos discordiis, cui, absente Prælato, Monasterii administratio magis comperet; donec reversus ad suos Abbas illas composuit. Ex quo ad sua Cassianus rediit, mirè eum dilexit Princeps Hatzfeldius, qui & Monasterii Scotorum Wirceburgi curam illi clementissimè demandavit. Acutis Podagræ doloribus & variis

variis calamitatibus jactatus portum æternæ beatitudinis adivit anno 1640.

**NICOLAUS Molitor h. n. III.**

**ABBAS LIII.**

Inauguratus est anno 1640. mense Septembri; eodem anno præmaturâ morte extinctus quarto idus Decembris. Accusatus est mulierculæ cujusdam malitiâ tanquam violati sigilli sacramentalis reus; in carcerem etiam ducendus Wirceburgum, nisi detectâ calumniâ Abbatis integritas constisset.

**SYLVANUS ABBAS LIV.**

Sylvanus Speth Nüdlingensis Wirceburgi in Monasterio S. Stephani Abbas Schwartzacensis renunciatus est, contrâ atque Vitus Godefridus à Werdenau, Summæ Ædis Decanus, qui cum Reverendissimo Suffraganeo & Fiscali vota recipiebat, optaverat; electio hæc multis aliis planè inexpectata visa fuit, propterea quòd Sylvanus antea semper ferè obscurus jaceret omnis Prælationis osor acerrimus; ut quidem laceræ vestes, quibus indutus erat, & multa alia indicabant: præterquam quòd naturæ justo timidioris esset. Protra-